erga Deum non faciunt satis ?

sitionibus patet, eos officiis erga Deum non facere satis, qui solum *cultum mechanicum* Deo exhibent, in externis actibus sine animi attentione & consensu consistentem ; qui solis precibus formulariis contenti sunt; qui pietatem politicam sine interna animi mutatione ad salutem sufficere putant. Huc pertinent quoque *superstitiosi*, *sortilegii*, *blasphemi*: item *tentatores* Dei, qui effectus supernaturales seu miracula exspectant; exemplo sint, qui probationibus per aquam, ferrum candens, duellum ad eruendam veritatem aut innocentiam olim usi sunt.

CAPVT II.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA SE IPSVM.

§. 110.

Quotuplicia officia erga se ipsum ?

Hominis officia erga se ipsum triplicis sunt generis: alia nimirum ratione *animi*, alia ratione *corporis*, alia ratione *status externi*, ad quem pertinent opes, honor, fortuna. Sed quoniam duae sunt animi facultates, patet alia iterum officia ratione *intellectus*, alia ratione *voluntatis* esse.

§. 111.

Quod generale officium ?

Homo non solum ad conseruationem, sed etiam ad perfectionem sui, facultatumque suarum obligatur; homo enim ad illustrandam Dei gloriam obligatur (§. 101.): nequit autem finem hunc assequi, nisi se conseruare, & perficere studeat; igitur se conseruare & perficere tenetur. §. 112.

§. 112.

Officia hominis erga intellectum sequentibus regulis continentur: Quae ratione intellectus?

Off. 1. Perfice intellectum omnibus, quibus potes modis: cura acquirere ideas claras & distinctas, cognitiones item veras & certas, in primis circa *bonum* & *malum*, vt apparens a vero bono & malo rite discernas; neque enim sine hac intellectus cultura ceteris status tui officiis satisfacere poteris.

Off. 2. Eum in discendo constitue ordinem, vt necessaria vtilibus, & vtilia iucundis praeferas: hinc scientiae intellectum & voluntatem perficientes, principia religionis & cultus diuini ante discenda, quam artes ad decorum spectantes.

Off. 3. Cognitionem *intensiuam* praefer *extensiuae*; prior nempe consistit in soliditate, altera in multitudine cognitionum: nemo autem dubitat, non tam referre, vt *multa* discamus, quam vt distincte & *solide* ea cognoscamus.

§. 113.

Actiones, ad quas homo erga voluntatem obligatur, sunt sequentes: Quae officia erga voluntatem?

Off. 1. Stude voluntatem tuam eo vsque perficere, vt non nisi verum bonum appetat, & verum malum auersetur.

Off. 2. Cura, vt in plurium bonorum delectu voluntas in maximum semper feratur.

Off. 3. Cura, vt appetitui sensitiuo & affectibus non obtemperes, nisi dum consenti-

unt cum rationali (§. 594. 599. Psych.); equidem appetitus sensitiuus saepissime in bonum solum apparens fertur, & affectus voluntatem passim in transuersum agunt.

§. 114.

An affectus & passiones necessariae?

Atque hanc necessitatem compescendi & refraenandi affectus cum omnes agnoscant, mirum sane videri debet, doctorum virorum complures sumsisse affectuum, passionumque patrocinium, vt eas non modo bonas & vtiles, sed etiam necessarias, vt nihil magni sine illis geri posse dicant; equidem haec non consentiunt cum iis, quae paullo ante, ex omnium mente, diximus.

§. 115.

Quae officia erga corpus?

Officia hominis erga corpus sunt sequentia:

Off. 1. Tuere vitam tuam, fuge contra omnia, quae illam tollere possunt; etenim Deus animam nostram cum hoc corpore copulauit, ad manifestandas infinitas suas perfectiones; igitur obligamur quoque ad eas manifestandas, & quidem tanto tempore, quanto Deus vult: vitae cursum autem vi abrumpere, aut gladio, veneno finire, aut neglecta cura abiicere, est aduersari fini creationis. Ergo *sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, eiusdem iussu recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec iubeat omitti.* Lact.

Off. 2.

Off. 2. Cura, vt conſtante corporis valetudine & ſanitate perfruaris; infirmitate enim & morbis corporis hominem in implendis ſtatus ſui muneribus & officiis plurimum impediri, nemo ignorat.

Off. 3. Vtere omnibus ad vitam ſanitatemque conſeruandam mediis: vtere *cibo* & *potu* ad ſatisfaciendum neceſſitati corporis, ad reſtaurandas vires, ad tuendam valetudinem; non ad irritandam gulam, ad capiendam voluptatem: vtere *veſtimentis* & *domicilio* ad propulſandas aëris iniurias: *labora*, non ſolum ad paranda neceſſaria quaelibet vitae ſuſtendandae ſubſidia, ſed etiam ad conſeruandam corporis valetudinem, & integritatem animae, quae *otio* ad turpiſſimas quasque cupiditates ducitur.

Off. 4. Praecaue morbos corporis futuros, praeſentes medicamentorum vſu propulſa.

§. 116.

Hinc patet, qui officiis ſuis circa curam corporis non faciant ſatis, atque in legem naturae peccent; nempe 1. qui violentas ſibi ipſis manus inferunt, qui corpus mutilant, qui temeraria vitae pericula adeunt: peccant 2. qui inedia aut intemperantia ſe conficiunt; qui cibis & potibus ſanitati noxiis, veſtimentis naturales corporis functiones impedientibus vtuntur; qui laboribus nimiis vires frangunt, aut otio & mollitie eneruant; qui ſubtiliorem hodie *Epicureiſmum* ſectantur, ſolis voluptatibus ſtudentes, omnem moleſtiam defugientes: peccant 3. qui

Qui deſunt his officiis?

aptis ad recuperandam ſanitatem & pellendos morbos mediis vti renuunt; qui malunt mori, quam grauiores in reſecando putrido membro dolores ſubire &c.

§. 117.

Quae officia circa opes?

Ad ſtatum externum pertinent opes, honores, fortuna; & quidem circa opes officia hominis ſunt ſequentia:

Off. 1. Cura opes & facultates parare, paratas conſeruare; equidem ſunt haec apparatus rerum, quibus tum ad neceſſitatem, tum commoditatem, tum iucunditatem vitae indigemus. Sed

Off. 2. Para & conſerua ita, vt ſimul impleas officia erga Deum & alios; media enim haec tantum ſunt ad reddendum ſtatum tuum perfectiorem, vt officia digniora facilius impleas.

§. 118.

Quid honor, dedecus?

Honor eſt aliorum de noſtris perfectionibus iudicium; isque aut *verus*, ſi perfectiones ſunt verae, aut *putatitius*, ſi perfectiones tantum ſunt opinatae; prior ergo iudicio vero, alter erroneo nititur. *Dedecus* eſt aliorum de noſtris imperfectionibus iudicium.

§. 119.

Quid laus, vituperium, calumnia?

Laus nihil aliud eſt, quam enumeratio perfectionum alterius: huic opponitur *vituperium*, ſeu enumeratio imperfectionum alterius, & *calumnia*, ſeu enumeratio vitiorum & imperfectionum, quibus alter non eſt obnoxius.

§. 120.

§. 120.

Obligatio hominis circa honorem sequentibus effatis continetur: Quae officia circa honorem?

Off 1. Sectare verum honorem, vita dedecus; h. e. fac ea, quae te dignum honore reddunt: vita ea, quae tibi dedecus conciliare possunt; equidem obligaris ad perfectiones acquirendas, & imperfectiones euitandas: sunt autem illae honoris, istae dedecoris fundamentum.

Off. 2. Fuge *ambitionem* seu studium honoris propter se ipsum, & *arogantiam* seu studium honoris putatitii; honor enim medium est modo ad maiores perfectiones obtinendas.

Off. 3. Quaere honorem ex *tuis* h. e. tuo labore partis perfectionibus: item apud prudentes laudatosque viros, non rudes improbosque.

Off. 4. Calumnias sermonibus scriptis, factis, aliisque mediis licitis refelle, si in praeiudicium tuum aut aliorum vergant.

§. 121.

Fortunae nomine intelligitur concursus & complicatio causarum, quae praeuideri non potest ab eo, ad quem pertinet. Haec dicitur *secunda*, si finibus & perfectionibus nostris est conueniens: *aduersa*, si iisdem est contraria. Quid, quotuplex fortuna?

§. 122.

Ratione fortunae sequens imple:

Off. Caue, secunda fortuna efferaris, aduersa nimis deprimaris; cum enim concursus ille

ille cauſſarum ne quidem praeuideri poſſit, multo minus imputari poteſt; neque ergo ratio vlla eſt, cur homo ſecunda in ſuperbiam aut arrogantiam eleuetur, aduerſa vero animum penitus abiiciat, atque nimis angatur; praeſertim ſi vtriusque inconſtantiam, quam quotidiana docet experientia, cogitet.

CAPVT III.

DE OFFICIIS ERGA ALIOS.

§. 123.

Quis ordo tractationis?

Poſtquam officia hominis erga Deum & ſe ipſum expoſuimus, officia erga alios breuiter pertractemus oportet; quod quidem eo ordine praeſtabimus, vt primum officia imperfecta, tum perfecta abſoluta & hypothetica (§. 92. 93.) explicemus.

§. 124.

Qua ratione amandi reliqui homines?

Homo hominem tenetur amare non minus, quam ſe ipſum; equidem 1. ea naturae humanae eſt imbecillitas, vt nemo ſibi ſolus ſufficiat; neque ergo perficere ſe quisquam poteſt, niſi aliorum ſimul perfectiones promoueantur; igitur quiſque promouendis aliorum perfectionibus ſtudere obligatur: in qua voluntatis propenſione amor conſiſtit. Sed 2. Deus omnes homines eadem conditione naſci fecit, iisdem facultatibus omnes ornauit, ad eundem finem omnes condidit; igitur aeque bene vni conſultum voluit, ac alteri; ergo homo hominem tenetur amare, non minus nec magis, quam ſe ipſum.

§. 125.